Hic vrbem multis ac maximis edificijs exornauit. cuius o
pera ſi cōpleri potuiſſent nulli veterū īpatorū magnificētie
ceſſura videbāt: ſed iacent adhuc edificia īterrupta mineqꝫ
muroꝝ ingentes; Sciſma qđ apud Sabaudienſes adhuc
in eccleſia vigebat exploſit. Amedeū papatui renūciantem
in gratiā recepit: Cardinalatꝰ honorē/ ꝛ in paterno domi/
nio legationē reliquit: Cardinalibꝰ aliquot ab eo creatis di/
gnitatem dimiſit: Romanos longa pace ditauit. Jubileum
feliciter geſſit: niſi quod in ponte ſancti Angeli ex concur/
ſione populoꝝ īprouide facta ducentos circiter hoīes aut
conculcatos aut in flumine eiectos periſſe conſtat/ Bern/
ardinū Senenſem ordinis minoꝝ profeſſorem qui paulo
ante obierat in numerū ſanctorum retulit: Fridericū tertiū
imperatorem ꝛ Leonoram Auguſtā matrimonio iunxit: ac
de more inunctos coronauit. eorum familias/ abunde et
multa cum lauticia paſcēs: Bis Cardinales creauit: ꝛ p̄mo
quidem vnum tantū Anthoniū natione Maioricenſē ad
titulum ſancti Griſogoni. quem ſibi philoſophie ſtudijs et
Archanorū ſacre theologie cognitione ex omnibꝰ parem
elegeret. Secundo ſex creauit. aut doctrina ꝑcelebres: aut
generis claritate inſignes. Inter quos ꝛ germanum ſuum
Philippū ſancte Suſanne Cardinalē aſſumpſit placidis
moribꝰ ꝛ incorrupte fidei virum libros ex tota grecia ꝑqui/
ſitos ad ſe iuſſit afferri: ꝛ in latinam cōuerti linguā curauit.
magna premia tranſlatoribꝰ prebens: Acceptiſſimi ei fue/
runt in tranſferendis operibꝰ. Georgius Trapozuntius.
Laurentius valla. Petrus candidus december. ꝛ Grego/
rius Caſtellanꝰ: Item demetrius natione grecꝰ. qui ſoluta
oratione vtentes cum pontifici aures mirifice oblectarent
Nihil ex eo qđ peterent nō abſtulerūt: In Homeri vero
poemate quod heroico carmine latinū fieri magno opere
cupiebat: cum plurimi morem ei gerere conarentur: Unus
tm̄ inuentus eſt: qui acri eius iudicio ſatiſfaceret. Oratius

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA